

IACOBI PELETARII MEDICI
ET MATHEMATICI, IN
Dimensionem Circuli, Præfatio.



NON abs re querendum esse semper existimaui, quod sit, quod quanto plures in singulis artibus Scriptores hucusque extiterunt, tanto pauciores in quoque genere excellētes reperiātur. Ac primū memorabili illa ac fœlici temporum serie floruerūt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Theophrastus, alijq; Philosophiæ principes: quū tamē paucissima haberēt sapientiæ monumēta literis prodita. Hippocrates ille noster nō solum suæ ætatis, sed omnium sæculorū Medicus experiētissimus, nullis quorū extiterit memoria, scriptoribus operā dedit. Huius interpretes studiosissimus Galenus, ut copiosior in scribēdo, ita in Medicina faciēda lōgè inferior fuit. Inter Oratores, Athenis Demosthenes, Romę M. Cicero, ambo multos habuerūt æquales, licet ætate potius q̄ ingenio: attamen quales posteriora tēpora nō tulerūt. Atq; ij oēs Scriptorū copia & magistrorū caruerūt multitudine. Gręcorū poetarū & Latinorū quantus secundū Homerū & Virgiliū fuerit numerus, nemo ignorat. Quorū ille unam ferè Naturā uidetur habuisse magistrā: hic plurimū quidē artis adiunxit, sed quātum exercitatione & usu, nō lectione sibi cōparauit. Post illa uerò tēpora nullus extitit, qui in suo genere, ueterū diligentia & industriā longo interuallo sit affecutus: quum tamen tot in Philosophia, in Medicina, in arte Oratoria & Poetica, scribēdi artifices prodierint. Rursus in Iure Scriptores innumerabiles, non lites cōponere, sed fouere: in Theologia, nō pietatē, sed ostentationē pietatis docuerunt, nimirū opinionū controuersia & cōcertationem: ut quocūq; se conuertāt animi, ueterē illā Iudiciorum & Religionis formā minimè agnoscat. At uerò in